Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2975

Quelle:
Copyright:

Rex ſanctorum Angelorum
Totum mundum adiuua &c.

quem Chorus alternis repetit. Item in *Die Sancto ad Proceſs.* Elegia:

Salue feſta dies toto uenerabilis ęuo
Qua deus infernum uicit et aſtra tenet &c.

pariter ἀντιφωνως a Choro reddenda. A *Dom. V. poſt Paſcha* excepta *Aſcenſione* et *Pentecoſte* continuo non niſi SS. Feſta leguntur usque ad *Andreae Apoſt.* rejectis poſt ea *Dominicis* omnibus a I. *poſt Pentecoſten* usque ad XXIII. Harum Dominicarum agmen ducit illa *de Sancta Trinitate*, diu itaque ante etiam in *Germania* celebrata, quam per *Johannem* XXII. Sec. XIV. in Eccleſiam *Rom.* introduceretur, qua de re vide, ſi lubet, *Lud. Thomaſſini Comment. de Dier. feſtor. celebrat.* edit. lat. *Venet.* 1729. L. II. c. 18. p. 83. f. His accedit *Commune de SS.* et Cantanda *in Agendis Mortuorum.*

II. a *fol.* 107. p. 2. Sequuntur *Reſponſoria* quaedam in praecipuis Feſtis per annum incipiendo *a Natali Domini* usque ad Feſtum *S. Martini Conf.* et *Dedicationis Eccleſiae*, quibus adhaeret Hymnus *Gloria in excelſis* &c. cum *kyrie eleyſon* ſexies et *Sanctus Sanctus* &c. ter diverſa ratione modulatum.

III. a *fol.* 112. p. 2. prorſus eleganter ſcripta Collectio *Sequentiarum*, quarum plurimis ad cantum moderandum impoſitae ſunt Literae. Prima eſt *de Natali Domini* in hunc modum:



Grates nunc omnes reddamus domino deo.

Qui ſua natiuitate Nos liberauit de diabolica poteſtate.



Huic oportet ut canamus cum angelis ſemper gloria in excelſis.

Univerſim numero ſunt XXXV. et ad praecipua per Anni circulum Feſta pertinent. Verum omnes aetate noſtra exolevere, ſi *Sequentiam Paſchalem* demas, quae incipit: *Victimae Paſchali* &c. et locum penultimum, adeoque extra ordinem occupat. *Codex* antiqui Cantus ſacri Curioſis commendandus

DCCCXXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 201. f. max. regali magnificentia adornatus juſſu *Mathiae Corvini* Reg. Hung. cujus, uti et *Beatricis* Neapolit. fecundae Uxoris, inſignia Fol. 3. margini inferiori adpicta conſpiciuntur. Continet *Antiphonas*, quae in Miſſae ſacrificio diebus dominicis 18